

eum necessum est, & in aliud minus calidum & siccum mutari, quod ipsum si rursus ita fiat calidum & siccum, ut ignis, ignis iterum generabitur. Pari ratione, aqua per frigiditatem & humiditatem suam, aqua est & manet, quando v. hæc amittit, natura ejus destruitur, & aliud inde generatur, quod si iterum frigidum & humidum fiat, ut aqua, vicissim aqua erit. Idem de reliquis judicium. Secundum gravitatem quidem, & levitatem etiam mutantur, generantur, & corrumpuntur elementa, fiunt n. ex gravibus levia, ex levibus gravia: sed semper prima omnium mutatio fit ratione caloris & frigoris &c. unde etiam primæ qualitates dicuntur

II. Nec tantum per hæc generantur & corrumpuntur elementa, sed etiam in se invicem agunt, & à se vicissim patiuntur, se invicem alterant, temperant, imminuunt, immutant, donec naturâ suâ depositâ mixtum naturale constituent, quod fieri non posset, nisi talem naturam, talesq; formas in se invicem activas, & à se mutuo passivas, quæq; ad unam mixti naturam; ab ipsorum naturâ simplici diversam, constituendam concurrere possint, nacta essent. (Quomodo verò per & propter calorem & frigus, humiditatem & siccitatem, quorum priora duo activa, posteriora a. duo passiva sunt, res naturales generentur & corrumpantur, quomodo etiam propter eadem ex elementis primò fiant mixta, & ultimò in ea resolvantur, altioris & fusioris est tractationis, quàm ut hîc deduci possit, cû per totam Physicâ se diffundat) Hinc v. est quod Aristoteles, dictas essentielles & formales qualitates, ipsas differentiâs & formas elementorum, imò & elementa passim vocitet. *V. l. 1. de gen. & corr. c. 1. & 3. l. 2. c. 2. 3. 4. & conf. l. 2. de anim. c. 11. l. 12. (14) Metaph. c. 4.*

12. Consentire etiam his videtur Ptolomæus *l. 1. de judiciis c. de viribus planetarum*, dum quatuor primas naturas

B 2

esse